

destinatione non modò labefactari, sed etiam irri-
 deri cœpit, & impietati atque improbitati summa
 laus tribui. Videtur autem hic error ortus ex do-
 ctina de Prouidentia Dei perperam intellecta,
 quòd non distingueretur aptè in vno & eodem fa-
 cto Dei & hominibus opus. 2 Error. Legem
 à Mose traditam damnant, & Deum illius autho-
 rem velut zizaniorum in mundo seminatore
 oderunt & detestantur, tanquam Rhodij solem.
 Quod Marcionitis postea ansam erroris & inces-
 sendi Dei veteris Testamenti audaciam præbuit.
 3 Carnis resurrectionem fore negant. 4 Mun-
 di creatorem vocant *ὕσπερ*, id est, Vuluam, quem &
 ignotum deum esse dicunt, & inuidum Caino, Esau,
 & Iudæ. Itaque pro blasphemia in eum spuunt.
 5 Angelos & eos quidē malos inuocant & colunt,
 vt ait Epiphanius, quibus singulas singulis tribuunt
 suas libidines, & scelera, tanquam eorum auctori-
 bus, & quibus, quum illa perpetrant, se placere &
 gratificari docēt, vt narrat Theodoretus. 6 De-
 nique contendunt nos non voluntate & spon-
 te nostra, sed natura malos vel bonos esse, quæ fuit
 vetus superiorum hæreticorum corniculatio &
 infania.

CAPVT XIX.

Sethiani vnde dicti, quorum erroris tria capita
 recensentur.



*S*ethiani nomen² acceperunt à filio *Ade*,
 qui vocatus est *Seth*. Eum² quippe hono-
 rant, sed fabulosa & hæretica vanitate.
 Dicunt enim eum de superna matre na-